# ACTA HEBDOMADAE AUGUSTINIANAE - THOMISTICAE

## AB ACADEMIA ROMANA SANCTI THOMAE AQUINATIS INDICTAE



**RECURRENTE XV CENTENARIO ANNO**


**A FELICI TRANSITU S. AUGUSTINI**

**AC SIMUL QUINQUAGESIMO ANNO**

**A CREATIONE EIUSDEM ACADEMIAE**

(Romae, 23-30 Aprilis 1930)







TAURINI - ROMAE
Ex Officina Libraria MARIETTI anno 1820 condita
nunc MARII E. MARIETTI Sanctae Sedis Apostolicae, S. RR. Congr.
et Archiepiscopi Taurinensis Typographi

MCMXXXI

FR. REGINALDUS GARRIGOU-LAGRANGE O. P.

PROFESSOR IN FACULTATE THEOLOGIAE APUD ANGELICUM - ROMAE.

# De natura creata per respectum ad supernaturalia secundum sanctum Augustinum.

(Die 24 Aprilis)

Reverendissimi Domini,

In hac hebdomada studiorum circa sanctum Augustinum, non inutile est, ni fallor, breviter saltem considerare quid dixerit Augustinus de natura creata per respectum ad supernaturalia. Haec quaestio, ut patet, non est minoris momenti in ordine theologico, nec etiam in ordine philosophico, praesertim quoad historiam notionis naturae.

His ultimis temporibus, non raro, in variis periodicis, legitur sanctum Augustinum *non clare affirmavisse distinctionem inter ordinem naturalem et ordinem supernaturalem*, et saepe ad hoc asserendum citantur verba libri I Confessionum, c. 1: « Fecisti nos, Domine, ad te, et inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te », ac si, juxta Augustinum, esset in nostra natura per respectum ad visionem beatificam *desiderium quodammodo efficax*, seu capacitas quaedam exigentiae; ac si proinde Baius, in interpretatione Doctoris hipponensis, non ita errasset, ut communiter in Ecclesia existimatur, dicendo: « Humanae naturae sublimatio et exaltatio in consortium divinae naturae *debita* fuit integritati primae conditionis et proinde naturalis dicenda est et non supernaturalis » (1).

(1) DENZINGER, *Enchiridion*, n. 1021.

Plures putare videntur quod sanctus Augustinus, a momento conversionis suae et speciatim durante ejus controversia cum pelagianis et semipelagianis, attendendo ad id quod nunc natura *non potest*, potiusquam ad id quod *potest*, eam consideravit *non ut essentiam* metaphysice determinatam in tali genere et tali specie immutabili, sed potius *ut statum de facto communem* a nativitate omnibus hominibus, post primi hominis lapsum. — Facile quidem proponuntur hae antitheses ad vividam historiam idearum scribendam, sed non sunt semper verae.

Secundum hanc interpretationem, non solum Augustinus possibilitatem status naturae purae non explicite considerasset, sed, juxta ejus principia, *status naturae purae possibilis non fuisset*, proinde concipi non posset finis ultimus naturalis, distinctus a vita aeterna de qua loquitur Revelatio christiana (1).

Consequenter philosophia, juxta Augustinum, non specifice distingueretur ex parte objecti formalis a theologia; ambae unirentur in « philosophia christiana »; nec amor naturalis Dei distingueretur a spe infusa aut etiam ab amore infuso caritatis. Jam naturale felicitatis desiderium esset quasi initium seu *inchoatio* spei christianae, aut etiam caritatis, quia non haberet objectum formale distinctum. In favorem hujusce interpretationis plus minusve explicite formulatae, citantur textus classici sancti Augustini in quibus apparet oppositio inter caritatem christianam et inordinatam cupiditatem, scilicet inter duos amores qui duas oppositas civitates fecerunt, ac si, inter primum et secundum, non daretur, per respectum ad Deum auctorem naturae, *ordinatus amor naturalis saltem inefficax;* ac si proinde Baius non graviter errasset in interpretatione nostri Doctoris, dicendo: « Distinctio illa duplicis amoris, *naturalis* videlicet, quo Deus amatur ut auctor naturae, et *gratuiti*, quo Deus amatur ut beatificator, vana est et commentitia et ad illudendum sacris litteris et plurimis veterum testimoniis excogitata » (2). Item: « Omnis amor creaturae rationalis aut vitiosa est cupiditas, qua mundus diligitur, quae a Joanne prohibetur, aut laudabilis illa caritas, qua per Spiritum Sanctum diffusa Deus amatur » (3).

(1) Cfr. praesertim Turmel, *Revue d'hist. et de litt. relig.*, VII, 224 ss.
(2) Denzinger, n. 1034.
(3) *Ibidem*, n. 1038.

Quidam addunt: verbum « supernaturale » nunquam apud Augustinum inveniri, ac si non esset apud ipsum jam clara distinctio inter effectus Dei auctoris naturae et effectus Dei auctoris gratiae.

Certo tamen Doctor hipponensis saepe et explicite locutus est de Deo auctore naturae, agendo de creatione materiae ex nihilo nec non de creatione angelorum (1) et animae humanae ex nihilo (2). Creatio autem, ut patet, pertinet proprie ad Supremam Causam ut efficientem, prout producit aliquid ex nullo praesupposito subjecto, idest ad Deum auctorem omnium naturarum.

An minus clare locutus sit Augustinus de Deo auctore gratiae, prout gratia a natura distinguitur?

Certo certius distinctio duorum ordinum minus explicita est apud ipsum, quam apud sanctum Thomam. Augustinus non ita abstracte procedit, proinde non ita explicite determinavit id in quo formaliter differt objectum proprium intellectus divini, seu essentia divina clare visa, ab objecto proprio intellectus angelici, quod est essentia ipsius angeli, et ab objecto proprio intellectus humani, quod est quidditas rei materialis, prout etiam altissima intelligibilia naturaliter cognoscimus solum in speculo sensibilium (3).

Augustinus, agendo de intellectu humano, eum considerat potius ut est *intellectus*, quam ut est *humanus*, aliis verbis: potius ut analogice convenit cum intellectu divino et cum intellectu angelico, quam prout ab eis specifice distinguitur.

Attamen mirum esset omnino si praeclarissimus Doctor gratiae non bene distinxisset essentiam ipsius gratiae et gloriae ab essentia naturae intellectualis creatae, sive humanae; sive angelicae, et ab objecto exigentiae hujusce naturae creatae.

Hoc mirum quidem esset, dum Concilium Vaticanum docet, simul contra semirationalistas et contra fideistas, qui diversimode negant distinctionem duorum ordinum, Sess. IV, cap. 4: « Hoc

(1) Cfr. *De Civ. Dei*, XI, IV-VI: de liberrima creatione mundi non ab aeterno; c. IX de creatione angelorum; item c. X. — *Confess.* XII, VII: Deus fecit de nihilo caelum, id est angelos et terram, id est informem materiam. — Item *De Gen. contra Manichaeos*, I, VI, 10; VII, 11.

(2) *De origine animae*, III, XV enumerat quaedam quae dicit esse « multum aperteque perversa et fidei catholicae adversa » inter quae primum est quod quidam dixerunt: « Deum animam non de nihilo, sed de seipso fecisse ».

(3) Cfr. S. THOMAM, p. I, q. 12, a. 4.

quoque *perpetuus Ecclesiae catholicae consensus tenuit* et tenet, *duplicem esse ordinem cognitionis,* non solum principio, sed objecto etiam distinctum: *principio* quidem, quia in altero naturali ratione, in altero fide divina cognoscimus; *objecto* autem, quia praeter ea, ad quae naturalis ratio pertingere potest, credenda nobis proponuntur *mysteria* in Deo abscondita, quae, nisi revelata divinitus innotescere non possunt..... (quaeque) suapte natura intellectum creatum (etiam angelicum) sic excedunt, ut etiam revelatione tradita et fide suscepta, ipsius tamen fidei velamine contecta et quadam quasi caligine obvoluta maneant, quamdiu in hac vita mortali " peregrinamur a Domino: per fidem enim ambulamus et non per speciem " (II Cor. 5, 6 sq.) ».

Si autem hoc tenuit perpetuus Ecclesiae catholicae consensus, ut ait Concilium, quomodo insignis Doctor gratiae, sanctus Augustinus, hoc ignoravisset? Tunc ipsammet essentiam gratiae et essentiam naturae nequidem in confuso cognovisset. Cognitio confusa nondum quidem est distincta, sed tamen per oppositionem ad cognitionem obscuram, satis clara est ut discernat de quanam re est sermo. Ita vulgus jam clare discernit plantam ab animali, quamvis nesciat hanc distinctionem explicare ut zoologista.

*
* *

Breviter igitur tria ostendere vellem: 1º Sanctus Augustinus, quamvis minus explicite quam sanctus Thomas, recte tamen ostendit distinctionem realem inter naturam creatam et supernaturalia, sive agatur de supernaturalitate miraculi, sive de altiori supernaturalitate gratiae. Insuper juxta eum gratia superat *exigentias* nostrae naturae et meritorum naturalium.

2º Imo ex ejus textibus non obscure constat gratiam non fuisse debitam *integritati primae conditionis* hominis, nec etiam *angelis;* pro illis sicut pro nobis est donum omnino gratuitum, ut nomen gratiae indicat.

3º Speciatim affirmavit Doctor gratiae gratuitatem et *inaequalem gratiae distributionem,* dum e contrario homines sunt aequales secundum naturam specificam et secundum originale peccatum, ac gratiam viribus naturalibus mereri nequeunt.

Ex his tribus satis clare constabit apud Augustinum distinctio duorum ordinum, secundum conceptum jam non obscurum naturae intellectualis creatae aut creabilis, prout infinite distat a vita Dei intima. In hac quaestione, ut patet, non minus consulendi sunt libri sancti Augustini contra Manichaeos, ubi loquitur de bonitate naturae a Deo creatae, quam libri scripti contra Pelagianos, ubi agitur de debilitate naturae lapsae.

### I. — *De natura creata per respectum ad supernaturalitatem tum miraculi, tum gratiae.*

In doctrina sancti Augustini, dum est sermo de natura hominis aut etiam de natura auri vel argenti, vox *natura* non significat solum, sicut pro nominalistis, *statum de facto communem* sive pro hominibus, sive pro aliis rebus de quibus agitur. Dicit ipse, in libro II *de Moribus manichaeorum*, initio, n. 2: « *Natura* nihil aliud est quam *id quod intelligitur in suo genere aliquid esse*... Veteres... pro *essentia* et *substantia* naturam dicebant » (1). Unde natura est objectum definitionis v. g. hominis, aut auri vel argenti, etc. Naturae ipsae substantiae dicuntur, sic est sermo de natura frumenti, de natura leonis, de natura hominis, de natura angeli, de natura Dei. Et diversis locis docet Augustinus: naturarum omnium auctor et conservator est Deus (2).

Praesertim in libro *de Natura boni contra manichaeos* (3), ostenditur naturam incommutabilem Deum esse ac summum bonum, atque ab illo esse caeteras naturas sive spirituales sive corporales, atque omnes, in quantum naturae sunt, bonas esse; et quid vel unde sit malum, et quanta mala Manichaei ponant in natura boni et quanta bona in natura mali, quas naturas finxit error ipsorum. Dixit Augustinus *ibid.*, c. 4 et 5: « Prius quaerendum est quid sit malum, quod nihil aliud est quam corruptio vel modi, vel speciei, vel ordinis naturalis. Mala itaque natura dicitur, quae corrupta est; nam incorrupta utique bona est. *Sed etiam ipsa corrupta, in quantum natura est, bona est*, in quantum corrupta est, mala est. Fieri autem

(1) ML 32, 1346.
(2) *De Gen. ad litt.*, II, XV; VIII, XXI, ML 34, 276, 389.
(3) ML 42, 551-571.

potest ut quaedam natura, quae modo et specie naturali excellentius ordinata est, etiam corrupta melior sit adhuc quam est incorrupta altera, quae minore modo et specie naturali inferius ordinata est..... Melius est corruptum argentum quam incorruptum plumbum. Sic et in naturis potentioribus atque spiritualibus. Melior est enim corruptus per malam voluntatem spiritus rationalis, quam irrationalis incorruptus».

Sic Augustinus admittit quod quaelibet natura, v. g. auri, argenti, plumbi, habet suum naturalem modum, suam speciem, suam ordinationem, id est suas proprietates, quamvis non semper cognoscibiles, et quod proinde sunt *leges naturales* fixae. De his loquitur ipse agendo de miraculo, praesertim in l. IX *de Genesi ad Litteram*, c. 17 (1), ubi legitur: «Omnis iste naturae usitatissimus cursus habet *quasdam naturales leges suas*, secundum quas et spiritus vitae, qui creatus est, habet quosdam *appetitus suos determinatos quodammodo*, quos etiam mala voluntas non possit excedere. Et elementa Mundi hujus corporei habent *definitam vim* qualitatemque suam, *quid unumquodque valeat vel non valeat, quid de quo fieri possit vel non possit.* Ex his velut primordiis rerum, omnia quae gignuntur suo quoque tempore exortus processusque sumunt, finesque et decessiones sui cujusque generis. Unde non fit ut de grano tritici nascatur faba, vel de faba triticum, vel de pecore homo, vel de homine pecus. *Super hunc autem motum cursumque rerum naturalem, potestas Creatoris habet apud se posse de his omnibus facere aliud, quam eorum quasi seminales rationes habent*, non tamen id quod non in eis posuit, ut de his fieri vel ab Ipso possit..... Ut autem *lignum* de terra excisum, aridum, perpolitum, sine radice ulla, sine terra, et aqua, *repente floreat* et fructum gignat, ut per juventam sterilis foemina *in senectute pariat*, ut *asina loquatur*, et si quid ejusmodi est, dedit quidem naturis quas creavit, *ut ex eis et haec fieri possent.* Neque enim ex eis vel ille faceret, quod ex eis fieri non posse ipse praefigeret, quoniam seipso non est nec ipse potentior. *Verumtamen alio modo dedit ut non hoc haberent in motu naturali*, sed in eo quod ita creata essent *ut eorum natura voluntati potentiori amplius subjaceret*».

Ut ostendit P. Gardeil (2), haec ultima verba exprimunt *ca-*

(1) ML 34, 406.

(2) GARDEIL, *La structure de l'âme et l'experience mystique* (Paris, 1927) t. I: «Comment saint Augustin conçoit la puissance obédientielle de l'âme au surnaturel», pp. 205-264. Vide speciatim pp. 211, 217 n. 1, 242, 255 s.

*pacitatem passivam*, quae vocatur postea a theologis « potentia obedientialis, prout, ait sanctus Thomas, *tota creatura obedit Deo ad suscipiendum in se quidquid Deus voluerit* » (1) et Deus velle potest *quidquid non repugnat.* Insuper in hac capacitate naturae, quae, ut ait Augustinus, « divinae voluntati subjacet » *nulla apparet intrinseca et positiva ordinatio* ipsius naturae creatae ad aliquid supernaturale (2), v. g. nulla est intrinseca et positiva ordinatio naturae aquae ad ejus instantaneam transformationem in vinum, aut naturae asinae ad loquendum. Haec est capacitas praerequisita in natura ad miraculum patrandum, et sunt apud Augustinum plures alii textus similes de miraculo (3).

Miraculum igitur ex his textibus apparet ut *quid superans vires et exigentias naturae creatae*, v. g. natura frumenti exigit id quod est sibi necessarium, non vero quod ex grano frumenti generetur faba, nec natura humana exigit quod fiat multiplicatio extraordinaria frumenti aut panis, aut subita conversio aquae in vinum.

Si autem Augustinus tam clare locutus est de supernaturalitate miraculi, quod juxta ipsum est *naturaliter cognoscibile*, ut divinae revelationis signum (4), nonne pro eo adhuc *altior est supernaturalitas gratiae*, quae naturaliter cognosci nequit?

Docet expresse quod miracula, praesertim magna Christi miracula, naturaliter cognosci possunt ut revelationis signa, et contrarium dicit de gratia, quae proinde superat non solum naturales vires efficientes et exigentias animae, sed ejus naturales vires cognoscitivas. Dicit enim in libro *de Praedestinatione sanctorum*, c. 8, « Valde remota est a sensibus carnis haec schola in qua Deus auditur et docet. Multos venire videmus ad Filium, quia multos credere videmus in Christum: sed ubi et quomodo a Patre audierint hoc et didicerint, non videmus. Nimium gratia ista secreta est » (5).

Quid est igitur, juxta Augustinum, in natura nostra per respectum ad gratiam? Estne aliquid plus quam per respectum ad miraculum? Ad miraculum praerequiritur, ut vidimus, in natura

(1) S. THOMAS, *De virtutibus in communi*, q. 1, a. 10, ad 13.
(2) Cfr. GARDEIL, *op. cit.*, t. I, pp. 256 s.
(3) *De Gen. ad litt.*, VI, XIII, 24, ML 34, 349; *De Civ. Dei*, XXI, VIII, 2, ML 41, 710.
(4) *De Civ. Dei*, XXII, VIII, 1, ML 41, 760; *In ev. Johannis* tr. 24, 1, ML 35, 1592.
(5) ML 44, 970. Item *De dono perseverantiae*, ML 45, 1019.

rerum potentia subjecta omnipotentiae liberrimi Creatoris, et Dominatoris naturae. Quid praerequiritur ad gratiam suscipiendam? Augustinus dicit in eodem libro *de Praedestinatione sanctorum*, c. 5, et est textus classicus ab omnibus theologis citatus: « POSSE *habere fidem, sicut* POSSE *habere caritatem, naturae est hominum;* HABERE *autem fidem, quemadmodum habere caritatem, gratiae est fidelium.* Ipsa itaque natura, in qua nobis data est POSSIBILITAS habendi fidem, non discernit ab homine hominem, ipsa vero fides discernit ab infideli fidelem. Ac per hoc ubi dicitur: *Quis enim te discernit? Quid autem habes quod non accepisti?* quisquis audet dicere, habeo ex meipso fidem, non ergo accepi, profecto contradicit veritati: non quia credere vel non credere non est in arbitrio voluntatis humanae, sed in electis *praeparatur voluntas a Domino* ».

In hoc textu, non dicitur quod in natura nostra nobis data est *inchoatio* fidei infusae, sed « data est nobis *possibilitas* habendi fidem » seu fidem accipiendi; nequidem data est *potentia naturalis passiva,* ut v. g. ad accipiendas impressiones rerum sensibilium, sed *possibilitas* accipiendi fidem inferam, et postea visionem beatificam. Item est in nostra natura *possibilitas* accipiendi a Deo *quidquid non repugnat* etiam unionem hypostaticam, et gradum luminis gloriae semper ac semper altiorem, prout Deus qualibet re a se facta potest facere meliorem (1).

Ex hoc textu et ex multis similibus clare constat quod gratia habitualis, *qua efficimur divinae consortes naturae,* secundum quam *ex Deo nati sumus,* et quae nos *deificat,* ut ait Augustinus (2), superat vires et exigentias nostrae naturae.

(1) Potentia obedientialis, secundum sanctum Thomam, est quid *reale et positivum, ratione subjecti* in quo est, seu *materialiter,* imo entitative identificatur cum essentia nostrae animae, aut cum essentia facultatum nostrarum; sed *formaliter* non addit novam realitatem, sed solum *possibilitatem* elevationis, seu *non repugnantiam* ad accipiendum a Deo quidquid ipse liberrime voluerit, etiam unionem hypostaticam, et gradum luminis gloriae semper altiorem. Si autem potentia obedientialis adderet essentiae animae novam realitatem, seu inclinationem positivam ad gratiam suscipiendam, tunc haec positiva inclinatio esset simul quid *essentialiter naturale,* ut proprietas naturae, et quid *essentialiter supernaturale,* ut specificatum ab objecto supernaturali; esset monstrum metaphysicum. Haec conceptio thomistica, ut patet, magis explicite proponit id quod jam dixerat Augustinus. Sic solvuntur objectiones Dñi I. Sestili contra P. Gardeil propositae in per. *Divus Thomas* (Placentiae, Januarii 1927) pp. 57-93: De natura Deo subjecta in ordine ad supernaturalia.

(2) Cf. *de Trinit.,* XIV, XVI. — *De Genesi ad litt.,* VI, XXVI s. — *Enarr. in Ps.* 49, 2, ubi explicantur verba II Petri, I, 4: « *ut per haec efficiamini divinae consortes naturae* », et verba

Certo gratia non debetur nostrae naturae lapsae. Fuitne vero *debita*, ut quidam putaverunt, naturae Adae innocentis et praesertim integritati primae conditionis? Adhuc hodie quidam existimant Augustinum hanc quaestionem non solvisse.

## II. — *De integritate naturae humanae per respectum ad gratiam.*

Nonnulli dicunt: dum miraculum est quid omnino extraordinarium, gratia est necessaria ad salutem, imo videtur quod secundum Augustinum *debita* fuerit *integritati nostrae naturae*, prout homo fuit ad imaginem Dei creatus.

Si vero attente considerantur textus Augustini praesertim in l. XIV et XV *de Trinitate*, in l. VI et XI *de Genesi ad litteram*, et in l. XIII *de Civitate Dei*, satis clare apparet *gratiae gratuitas* etiam sub hoc respectu consideratae; imo hoc tripliciter manifestatur, prout gratia erat 1° radix privilegiorum non naturalium, 2° semen gloriae, 3° gratuitum donum etiam pro angelis.

1° Quidem juxta Augustinum, gratia habitualis erat in statu innocentiae *radix privilegiorum* hujusce status, scilicet immunitatis a concupiscentia, a dolore, a morte. His privilegiis fruebatur homo, ait Augustinus, prout erat « vestitus gratia » (1); quamdiu ratio manebat Deo subjecta, inferiora ei subdebantur; « posteaquam, inquit sanctus Doctor, praecepti facta est transgressio, confestim *gratia deserente divina* de corpore suorum nuditate confusi sunt... Senserunt ergo novum motum inobedientis carnis suae, tanquam reciprocam poenam inobedientiae » (2).

Joan. I, 12: « *Dedit eis potestatem filios Dei fieri* ». Ubi Augustinus ait: « Deus (justificando) deificat, qui per seipsum, non alterius participatione Deus est... Si filii Dei facti sumus et dii facti sumus; sed hoc gratiae est adoptantis non naturae generantis ». Item Epist. 140, Honorato, scripta a. 412, n. 3 et 4. — Cf. GARDEIL, *op. cit.*, t. I, p. 105-131, 189 sq., 193-198, 205 sq.

Contra pelagianos scribit Augustinus: « Non enim animadvertunt eo quosque *fieri filios Dei* quo esse incipiunt *in novitate spiritus* et renovari in interiorem hominem secundum imaginem ejus qui creavit eos » (*De peccat. merit. et remiss.*, II, 9). — « Ipsa justitia, cum proficimus crescit... et unusquisque vestrum jam in ipsa justificatione constitutus... proficiens de die in diem... proficiat et crescat donec consummetur » (Sermo CLVIII, 5).

(1) Cf. *Contra Julianum*, IV, 82; *De Civitate Dei*, XIII, XIII; *De Genesi ad litteram*, XI, 41, 42.

(2) *De Civ. Dei*, loc. cit.; *De peccat. merit. et remiss.*, l. I, c. XVI.

Haec autem privilegia, ut immortalitas, ait Augustinus, « *non de conditione naturae* » erant, sed ex « beneficio conditoris ».

Ergo pariter nec eorum radix erat de conditione naturae Adae innocentis, alioquin fuisset illis inferior; causa autem, ut non raro dicit Augustinus, est suo effectu nobilior. Uno verbo: si privilegia erant supernaturalia, a fortiori radix eorum supernaturalis erat, et non naturae Adae innocentis debita (1).

2º Imo *neque naturae integrae, ut integrae* et praedictis privilegiis ornatae, *debita erat* gratia habitualis; nam, juxta Augustinum, gratia habitualis positive et intrinsece ordinatur, tum in Adamo innocenti, tum in nobis, *ad gloriam*, idest *ad claram et intuitivam essentiae Dei visionem*, quae, ut ostenditur praesertim in l. XIV et XV de Trinitate, superat naturales facultates naturae intellectualis creatae, eique non debetur. Aliis verbis, gratuitas gratiae praesertim apparet ex eo quod ipsa est semen gloriae indebitae.

In l. XIV de Trinitate, c. 12, n. 15, legitur: « Colat (mens humana) Deum non factum, *cujus* ab eo *capax est facta*, et cujus *particeps esse potest*..., ET NON SUA LUCE, SED SUMMAE ILLIUS LUCIS PARTICIPATIONE *sapiens erit*, atque ubi aeterna, ibi beata regnabit ». — Speciatim de visionis beatificae altitudine, in ipso ordine gratiae, est sermo in toto libro XV de Trinitate, ubi c. 8-11, Augustinus explicat textus sancti Pauli et S. Joannis: « *Videmus nunc per speculum in aenigmate; tunc autem facie ad faciem* » I Cor., XIII, 12; — « *Cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum sicuti est* » I Joan., III, 2; — « *Nos vero omnes revelata facie gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformamur a claritate in claritatem, tanquam a Domini Spiritu* » II Cor., III, 18. Circa hoc, ait Augustinus, *ibid.*, c. VIII: « Quod vero Apostolus adjunxit *tanquam a Domini Spiritu*, ostendit *gratia Dei* nobis conferri tam optabilis transformationis bonum » et conferri ut praemium meritorum nostrorum, quae jam ex divino gratiae dono proveniunt. — Totus hic liber XV de Trinitate scriptus est ad explicandam hanc veritatem diversimode in sacra Scriptura expressam: « *Rex regum, Dominus*

(1) Theologi dicent postea quod gratia habitualis est *supernaturalis quoad substantiam* vel essentiam, ut participatio divinae naturae, seu vitae Dei intimae, dum praedicta privilegia sunt *supernaturalia quoad modum* productionis suae tantum, ut miracula, v. g. ut resurrectio qua *supernaturaliter* redditur corpori *vita naturalis*.

*dominantium, qui... lucem inhabitat inaccessibilem, quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest»* I Tim., VI, 16; «*Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit, quae praeparavit Deus iis qui diligunt illum; nobis autem revelavit Deus per Spiritum sanctum; Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei* » I Cor., II, 9.

Semper, etiam in suis prioribus operibus (1), Augustinus tenuit propter testimonia Evangelii et sancti Pauli, quod *sine gratia* nemo potest Deum videre, et si quidam, ut Moyses et Paulus in raptu, Deum jam in terris viderunt, hoc fuit effectus gratiae omnino extraordinariae (2). Testimonia ipsius Evangelii erant nimis clara ut Augustinus existimaret essentiam Dei videri posse solis viribus naturalibus mentis nostrae, sine gratia; sufficiebat testimonium Evangelii secundum Joannem I, 18: «*Deus nemo vidit unquam, unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit* ». In libro VIII, 1, de Trinitate, dicitur: Humana mens « vera, quae creata sunt, sentit ut potest, Veritatem autem ipsam, qua creata sunt, non potest intueri » (3).

Sanctus Augustinus, Doctor gratiae, quasi continuo vivit in contemplatione hujusce veritatis: scilicet *gratia habitualis*, non vero natura nostra, *intrinsece et positive* seu essentialiter *ordinatur ad immediatam essentiae divinae visionem*, quae superat omnino naturales vires nostrae mentis et nequidem nostrae naturae ut integrae debetur, « *alioquin gratia jam non est gratia* » ut dicitur ad Rom. XI, 6. Aliis verbis, gratia et caritas diffusa in nobis per Spiritum sanctum sunt quidem *inchoatio vitae aeternae, non vero natura* etiam integra *est inchoatio gratiae.* Gloria quidem est praemium meritorum, sed merita nostra sunt « Dei munera; quibus cum vita aeterna redditur,

(1) Cf. *Confessiones* (ann. 400), XIII, XVI: Solus Deus se scit omnino sicuti est: « Nam sicut omnino tu es, tu scis solus, qui es incommutabiliter et scis incommutabiliter et vis incommutabiliter. .....Nec videtur justum esse coram te, ut quemadmodum se scit lumen incommutabile, ita sciatur ab illuminato commutabili... Sic enim apud te fons vitae quomodo in lumine tuo videbimus lumen ». — Item l. IX, c. X: Colloquium cum matre de regno caelorum apud Ostia Tiberina.

(2) Cf. *De Genesi ad litt.*, l. XII, c. XXVII: « Nisi ab hac vita quisque quodammodo moriatur, sive omnino exiens a corpore, sive ita aversus et alienatus a carnalibus sensibus, ut merito *nesciat*, sicut Apostolus ait, *utrum in corpore an extra corpus sit*, cum in illam rapitur et subvehitur visionem ». Cf. Ibid., c. III et IV; et *Epist.* CXLVII (al. CXII), c. XIII.

(3) Item cf. *De Genesi ad litt.*, IV, n. 40, 41, 49, et *Confess.*, VII, n. 23.

quid nisi gratia pro gratia redditur» (1). Natura igitur et gratia inconfusae remanent, sicut duae naturae in Christo.

3º Hoc ultimum punctum maxime confirmatur ex textibus Augustini, ubi agitur *de natura et de gratia in ipsis angelis*, in quibus non potest esse quaestio de natura lapsa, aut de natura non integra, nec de gratia solum sanante, sed tantum de natura integra et de gratia elevante. Communiter theologi citant textus classicos l. XII *de Civitate Dei*, c. 9: « Et istam (bonam voluntatem) quis fecerat (in angelis), nisi ille qui eos cum bona voluntate, id est cum amore casto, quo illi adhaererent, creavit, *simul eis et condens naturam et largiens gratiam?...* Confitendum est igitur cum debita laude creatoris, non ad solos sanctos homines pertinere, verum *etiam de sanctis angelis posse dici, quod caritas Dei diffusa sit in eis per Spiritum sanctum, qui datus est eis* ».

Pro Augustino autem haec gratia habitualis et caritas non erat *debita* naturae angelicae, *alioquin gratia jam non est gratia*, et proinde « exaltatio in consortium divinae naturae naturalis dicenda est, et non supernaturalis » ut dicet Baius (DENZINGER, n. 1021).

Unde a fortiori, pro Augustino gratia habitualis non fuit debita naturae humanae in se consideratae, nec etiam naturae humanae integrae.

Aliis verbis: etiamsi, ex consideratione divinae Providentiae, « satis probabiliter probari possit » (2) hominem innocentem *creatum fuisse absque defectibus concupiscentiae, ignorantiae et infirmitatis*, non ex eo sequitur eum creatum fuisse cum gratia habituali, id est cum ordinatione positiva et intrinseca, seu essentiali, ad visionem beatificam, quae superat etiam id quod debitum est integrae naturae angelicae (3). Imo plures scholastici augustiniani saeculis XII et XII

(1) *Enchiridion*, CVII: « Unde et ipsam vitam aeternam, quae certe merces est operum bonorum, gratiam Dei appellat Apostolus... Intelligendum est igitur ipsa hominis bona merita esse Dei munera; quibus cum vita aeterna redditur, quid nisi gratia pro gratia redditur ». — Item *Epist.* CXCIV, 10. — Et hoc valet non solum pro nostris meritis, sed etiam pro meritis angelorum aut Adae innocentis si in innocentia perseverasset.

(2) Cf. S. THOMAM, *C. Gentes*, l. IV, c. 52.

(3) Hoc est dicere, secundum formulam magis explicitam theologorum posteriorum: quamvis « satis probabiliter » suadetur ex consideratione Providentiae primum hominem creatum fuisse in *statu naturae integrae*, non tamen ex hoc eodem modo probatur eum creatum fuisse in *statu gratiae*; nam posset esse donum integritatis, ut specialis vigor, absque gratia habituali; est enim notabilis differentia inter utrumque, nam donum integritatis est *super-*

opinati sunt, non tamen merito, quod, secundum Augustinum, gratia habitualis nec Adae innocenti fuerit a principio collata.

*

* *

Denique Doctor gratiae speciatim affirmavit *gratiae gratuitatem et inaequalem distributionem*, dum e contrario homines sunt *secundum naturam specificam aequales*. Imo sanctus Augustinus diversimode enuntiavit principium hujusce inaequalitatis, quod sanctus Thomas sic postea formulavit: « Cum amor Dei sit causa bonitatis rerum, non esset aliquid alio melius, sit Deus non vellet uni majus bonum quam alteri » (Iª, q. xx, a. 3, item a. 4). Aliis verbis: nullum ens creatum esset alio melius, si non esset magis dilectum a Deo. Est principium praedilectionis jam enuntiatum a S. Paulo: « Quis enim te discernit? Quid autem habes quod non accepisti? » I Cor. IV, 7. Hoc principium Augustinus applicavit etiam angelis, dum scripsit in l. XII *de Civitate Dei*, c. 9: « Si utrique (angeli) *boni aequaliter* creati sunt, istis mala voluntate cadentibus, *illi amplius adjuti* ad eam beatitudinis plenitudinem, unde se nunquam casuros certissimi fierent, pervenerunt » (1).

Ex his omnibus patet quod sanctus Augustinus habuit de natura intellectuali creata conceptum philosophicum, multo minus explicitum quidem quam sanctus Thomas, rectum tamen; non obscure affirmavit quod *essentia Dei clare visa*, quae est objectum

*naturale solum quoad modum* productionis suae, gratia autem est *supernaturalis quoad essentiam* et proinde gratuita etiam pro angelis.

(1) Hoc *praedilectionis principium*, his verbis Augustini « *amplius adjuti* » expressum, in multis aliis locis ejus operibus enuntiatur, v. g. *De Praedestinatione sanctorum*, c. VIII, *De dono perseverantiae*, c. IX; sic praeparatur formula universaliori sancti Thomae, quae legitur Iª, q. xx, a. 3 et 4. Hoc principium virtualiter continet totum tractatum de praedestinatione et de gratia actuali efficaci sive pro angelis, sive pro hominibus. Secundum sanctum Augustinum et secundum sanctum Thomam: si ex duobus hominibus vel ex duobus angelis *aequaliter a Deo dilectis et adjutis*, unus fieret *alio melior*, hoc esset contra praedilectionis principium: nullum ens creatum esset *alio melius*, si non esset praedilectum a Deo. Unde Augustinus dicit de efficacitate gratiae in l. *de Praedestinatione sanctorum*, c. VIII: « Haec itaque gratia quae occulte humanis cordibus divina largitate tribuitur, *a nullo duro corde respuitur*, ideo quippe tribuitur, ut cordis duritia auferatur. Quando ergo Pater intus auditur et docet ut veniatur ad Filium, *aufert cor lapideum et dat cor carneum*, sicut Propheta praedicante promisit. Sic quippe facit *filios promissionis et vasa misericordiae, quae praeparavit in gloriam* ».

proprium intellectus divini, omnino superat objectum proprium naturale cujuslibet intellectus creati, et proinde ejus naturales vires et exigentias. Brevius: gratia est inchoatio vitae aeternae, non vero natura est inchoatio gratiae; gratia, semen gloriae, nulli naturae intellectuali creatae debita est, « *alioquin gratia jam non est gratia* » Rom., XI, 6, et cui conceditur, gratis conceditur.

Augustinus, propter suam nimiam contemplationem mysteriorum fidei, hanc veritatem minuere non potuit. Eam e contrario ita affirmavit, ut quibusdam videretur non satis retinere aliam veritatem apparenter contrariam, scilicet: *Deus impossibilia non jubet*, et peccatum non provenit ex insufficientia auxilii. Revera tamen Augustinus semper, etiam scribendo de Praedestinatione sanctorum, retinuit id quod scripserat in l. *De natura et gratia*, c. 43, n. 50: « Deus impossibilia non jubet, sed jubendo monet et facere quod possis et petere quod non possis ». Semper, usque ad finem, tenuit hanc sententiam etiam pro primo peccato, quo justitia amittitur: « *Omnes quos docet* (ut veniant ad Christum) *Deus misericordia docet; quos autem non docet, judicio non docet* » (*de Praedestinatione sanctorum*, c. 8). « Judicio non docet », hoc verum est etiam de primo peccato, quo amittitur justitia (1). — Nullam ex his duabus veritatibus apparenter contrariis Augustinus rejecit aut minuit, optime cognoscens eas in mysterio altissimo vitae Dei intimae quam maxime conciliari, sicut in amore increato uniuntur duae virtutes ejus, infinita misericordia et infinita justitia (2).

NB. — Inter opera recenter scripta circa praedictam quaestionem, speciatim legendum est opus citatum P. A. GARDEIL, O. P., *La structure de l'âme et l'expérience mystique* (Paris, 1927): t. I, p. 21-127: « Qu'est-ce que le *mens* selon saint Augustin et saint Thomas; qu'est l'image de la Trinité dans l'âme? » — *Ibid.*, p. 155-200: « L'âme informe » de saint Augustin et sa capacité

(1) Ita sanctus Paulus dum scribit « non volentis, nec currentis, sed miserentis est Dei » (Rom., IX, 16) non negat id quod alibi asserit, scilicet: « Deus omnes homines vult salvos fieri » I Tim., II, 4; tenet firmissime duos aspectus mysterii apparenter contrarios, credendo eos plene conciliari in altitudine vitae Dei intimae.

(2) Id est hoc verum est de primo peccato sive in angelo seu daemone, sive in Adamo, sive nunc in baptizato, scilicet denegatio divina gratiae efficacis praesupponit saltem prioritate naturae primam resistentiam gratiae sufficienti, ut dicent postea theologi augustiniani et thomistae.

de vie divine; — p. 205-264: Comment saint Augustin conçoit la « puissance obédientielle » de l'âme au surnaturel?

Item P. BOYER, S. J., *L'idée de vérité dans la Philosophie de saint Augustin* (Paris 1921), p. 164 et sqq.; cf. etiam articulos ejusdem auctoris in *Gregorianum* (1925), p. 449-455: « Autour de l'illumination augustinienne »; item *Gregorianum* (1927), p. 106-110. — E. PORTALIÉ, S. J., art. *Augustin, Dict. de Théol. cath.* — Adhuc consulendi sunt ALB. LEPIDI, O. P., *Examen philosoph.-theol. de ontologismo* et Card. TH. ZIGLIARA, O. P., *Della luce intellettuale*, qui speciatim ostenderunt sanctum Augustinum ontologismum non admisisse, nec proinde confusionem ordinis naturae et ordinis gratiae, quae saltem virtualiter in ontologismo continetur.

## DISCUSSIO

*R. D. Michael Marmora* rogat quomodo natura possit esse integra sine gratia habituali, cum gratia dicatur esse radix integritatis.

*P. Garrigou-Lagrange* respondet: Iuxta Augustinum, *de facto*, in statu innocentiae, gratia habitualis fuit radix integritatis seu privilegiorum; non tamen affirmavit haec privilegia non posse exsistere sine gratia habituali. Et revera notabiliter differunt, nam gratia habitualis, ut semen gloriae, est *supernaturalis quoad essentiam*, dum praedicta privilegia, v. g. immortalitas corporalis, sunt solum *supernaturalia quoad modum* productionis suae, ut resurrectio miraculosa, quae supernaturaliter vitam naturalem restituit.

*Cl. D.nus Joachim Sestili* ait: Secundum interpretationem in relatione propositam, potentia obedientialis non esset quid positivum et vitale, sed solum mera non repugnantia ad accipiendum a Deo quidquid Deus voluerit; tunc esset potentia logica tantum, non realis; nec explicaretur vitalitas actuum supernaturalium, dum Conc. Trid. Sess. VI, can. 4 ait: « Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium a Deo motum et excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti et vocanti, quo ad obtinendam justificationis gratiam se disponat ac praeparet..., an. s. ».

*P. Garrigou-Lagrange* respondet: Potentia obedientialis esset potentia mere logica, ut non repugnantia ad esse praerequisita ad liberam creationem cujuslibet rei possibilis, si non esset *in aliquo*

*subjecto reali* actualiter existenti; sed revera est in essentia tum animae, tum facultatum vel passivarum vel activarum, imo realiter seu entitative identificatur omnino cum natura subjecti in quo est; est ipsa natura animae vel facultatum ut est « apta ad recipiendum quidquid Deus voluerit » ut ait sanctus Thomas, optime servans Augustini doctrinam.

Proinde, potentia obedientialis, *ratione subjecti* seu *materialiter*, est certo certius quid reale, quid positivum, quid vitale, nemo est qui dubitet; sed *ratione sui et formaliter* non est nova realitas superaddita ad modum novi accidentis vel novi modi realis; haec enim nova realitas esset simul *essentialiter naturalis*, ut proprietas naturae, *et essentialiter supernaturalis*, ut specificata ab objecto supernaturali; esset monstrum metaphysicum et confusio duorum ordinum.

Si autem potentia obedientialis non est formaliter nova realitas superaddita naturae, sed ipsa natura ut est capax accipiendi a Deo quidquid ipse voluerit, considerandum est quod *Deus potest velle et producere quidquid non repugnat*. Sic natura nostra habet potentiam obedientialem seu elevabilem, non solum ad ordinem gratiae et gloriae, sed etiam ad unionem hypostaticam, imo, de potentia absoluta, ad lumen gloriae magis intensum quam lumen gloriae sanctissimae animae Christi. Sic sanctus Thomas pluries dixit potentiam obedientialem *impleri non posse*, et certo in natura nostra non est *ordinatio positiva*, sed solum non repugnantia ad unionem hypostaticam et ad gradum luminis gloriae semper magis ac magis intensum.

Unde *ratione sui* et *formaliter* potentia obedientialis vel elevabilis non importat nisi non repugnantiam ad accipiendum a Deo quidquid ipse voluerit. Sed ipse vult quod sua dona, etiam illa quae sunt *maxime gratuita* et nullo modo debita, *perficiant* nostram naturam eam elevando, et ei proinde conveniant, *convenientia* tamen non naturali, sed *supernaturali* et eximia.

Sic nullo modo minuitur vitalitas actuum nostrorum supernaturalium; sed vitalitas ista est supernaturalis, est vita nova et aeterna. Potentia obedientialis nihil aliud, ratione sui et formaliter, importat quam non-repugnantiam, sed ratione subjecti et materialiter, est quid reale, positivum et vitale, v. g. est ipsa facultas nostra intellectiva, quae erit *principium radicale* visionis beatificae,

dum lumen gloriae erit *principium proximum*, elevans intellectum, non solum ut est intellectus, sed ut est facultas vitalis, ita ut *totus* actus visionis beatificae sit simul vitalis et *essentialiter supernaturalis*, sive pro anima beata, sive pro angelis.

*P. Hieronymus a Parisiis, O. M. C.*, dicit: 1° Invocati sunt ad probandum S. Augustinum clare affirmavisse distinctionem inter ordinem naturae et ordinem supernaturalem, textus illi, in quibus S. Doctor asserit, ut, v. g., in *De Trinit.* l. XIV, c. 12, mentem creatam non fieri sapientem propria luce, sed participatione summae lucis, id est per divinam illuminationem. Ii textus, aliique similes, afferuntne apodicticam demonstrationem intenti? Saepe enim, ut scitur, Hipponensis repetit ipsam cognitionem naturalem lucis creatae, seu intellectus angelici aut humani, e tali participatione lucis increatae, ex illuminatione nempe intellectuum istorum inferiorum per supremam intelligentiam.

2° Nonne optima probatio — et quidem simpliciter talis, id est optima omnium — de recta mente D. Augustini circa distinctionem inter duos ordines, naturalem et supernaturalem, quaerenda esset in integra controversia quam sustinuit S. Doctor contra fautores haereseos pelagianae? Eo ipso enim quod constanter ac firmissime denegabat naturae, ut tribueret gratiae, id quod isti haeretici dabant soli naturae, nempe possibilitatem pro homine perveniendi ad visionem beatificam et eliciendi actus positive conducentes ad ipsam, evidenter asserebat dari, praeter naturam atque ea quae huic debebantur, dona sublimiora, eidem naturae prorsus indebita, ideoque ordinem constituentia distinctum ab ordine naturali atque hunc ordinem penitus transcendentem.

*P. Garrigou-Lagrange* respondet: Ad primam animadversionem, ex hoc solo textu l. XIV *de Trinitate* secundum se sumpto, hoc forte non constat; sed, ex contextu totius hujusce capitis 12 l. XIV *de Trinitate* et praesertim ex diversis similibus locis l. XV, hoc non obscure apparet, praesertim prout sanctus Augustinus per « participationem summae lucis » explicat verba sancti Pauli, quae certo ad ordinem gratiae pertinent, v. g. haec verba I Cor., II, 9: « Oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit quae praeparavit Deus iis qui diligunt illum ».

Ad secundam animadversionem, fateor ex scriptis Augustini contra Pelagianos et Semipelagianos haberi demonstrationem distinctionis inter duos ordines; sed in his scriptis agitur potius de natura lapsa, ut patet, et remanet problema examinandum quoad naturam integram Adae innocentis et quoad naturam angelorum.

*P. Jansen S. J.* postulat an S. Augustinus, etiam in prioribus suis operibus, admiserit supernaturalitatem visionis beatificae. Videtur quod non. Nam plures textus dialogorum, praesertim Soliloquiorum, obiter explicati, oppositum sensum admittunt vel etiam suadent. Accedit quod Sanctus initio primi libri Retractationum improbat quod putaverit finem absolutum et ultimum jam ante mortem attingi posse; videtur autem semper absolutum finem vitae in immediata cognitione Dei posuisse. Porro, Plotinus in secunda et praesertim in sexta Enneade in fine aspirat totis viribus in extasim seu visionem Dei.

*P. Garrigou-Lagrange* respondet quod Augustinus etiam in suis prioribus operibus admisit supernaturalitatem visionis intuitivae; hoc est dicendum praesertim propter testimonia N. T. quae jam citantur ab Augustino in suis primis operibus, v. g.: « Deus nemo vidit unquam; unigenitus Filius, qui est in sinu Patris, ipse enarravit » Joan. I, 18. — « Lucem inhabitat inaccessibilem (Deus), quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest » (I Tim., VI, 16).

*P. Boyer*, consentiens cum *P. Garrigou-Lagrange*, dicit hanc rem non esse incertam apud Augustinum, dummodo fiant distinctiones necessariae. Visionem Dei esse impossibilem *sine gratia* Christi, liber septimus *Confessionum* testatur explicite, ac simul testatur Augustinum hoc didicisse in ipsa sua conversione, antequam Cassiciacum veniret: quod idem confirmant *Dialogi*. Si quaeratur autem utrum secundum Augustinum visio Dei his in terris *cum gratia* Dei possibilis sit, respondendum est Hipponensem semper talem visionem habuisse ut extraordinariam et rarissimam, eam numquam sibimetipsi tribuisse, nec aliis determinate concessisse nisi Moysi et S. Paulo.

---